

INDEX  
LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXV—VI

A DIE XVI M. OCTOBRIS

PUBLICICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

---

DE SCRIPTORIBUS SATIRICIS

SPECIMEN QUARTUM

*F. V. FRITZSCHII*

PRAEMISIT.



---

LITERIS ADLERIANIS.


# INDEX

## LECTIONUM

### ACADEMIA ROSTOCHENSIS

SEMESTRI HIBERNO ANNO MDCCCLXXVII

DIE XVI OCTOBRIIS



### DE SCRIPTORIBUS SATIRICIS

D. G. Krabbe, D.

D. G. Krabbe, D.

D. G. Krabbe, D.

LITÆRIS ALBERTINIS

Novae iterum scholae Vobis obferuntur, Commilitones, ut qua soletis adsiduitate et diligentia eis utamini. Qui enim res ab magistro traditas bene acceperit, is postea etiam in examine publico bene erit acceptus: hunc qui vicerit, erit tum etiam acceptior et qui omnes industria ingenioque superarit, unus erit acceptissimus. At qui literis non bene tractatis multum obtenderit, is vir factus fortunam experietur modo offensam modo obfensorem modo vel maxime offensam. Sed habet lingua latina etiam aliud verbum quod plane obsceni ominis est, verbum dico ‚repellendi‘. Nam qui literis mire neglectis semel tulerit repulsam, is simpliciter abisse dicitur ‚repulsus‘, tum qui bis sic tristis abierit, secundum Catonem erit ‚repulsior‘, denique si quis ter fuerit ‚repulsus‘, is meo quidem animo dici poterit ‚repulsissimus‘. Ceterum ne ego ipse ab instituto ne ‚repulsus‘ quidem ultro abisse videar et inertia mea commeruisse ‚repulsam‘: jam nunc reviso, quid Graecorum agant satirici.

Menippo cynico saturae graecae inventori alii jam philosophi cynici quodammodo praeluserant, quorum nomen caninum eo nonnulli referunt, quod aliis soliti sint velut ‚oblatrare‘. Nam ipsum Diogenem Sinopensem, ut est apud Marcum Antoninum (De Rebus Suis XI, 6,) ex veteri comoedia adsumsisse accipimus magnam quandam dicendi libertatem et vitiorum insectationem acerbis jocis permixtam. Hinc certum quoddam dictorum genus ὁ Κυνικός τρόπος adpellatum est, quam rem optime declaravit Pseudodemetrius De Elocut. c. 170: *χρήσονται δὲ ποτε καὶ οἱ φρόνιμοι γελοίοις — τοιοῦτος δὲ ὡς τὸ πλεόν καὶ ὁ Κυνικός τρόπος: τὰ γὰρ τοιαῦτα γελοία χρείας λαμβάνει τάξιν καὶ γνώμης* et in eodem libro c. 259: *καίτοι ἐστὶ πολλαχθῶ ἐν παιδιᾷ παραμειγμένης δεινότητος ἐμφαινόμενη τις· οἷον ἐν ταῖς κωμωδίαις καὶ πᾶς ὁ Κυνικός τρόπος, ὡς τὰ Κράτητος* (sequitur parodia versus Odysseae) et mox post exempla Diogenis c. 261: *καὶ ὄλως συνελόντι φράσαι, πᾶν τὸ εἶδος τοῦ Κυνικοῦ λόγον σαίνοντι ἅμα ἔοικέ τῳ (malim εἰκέ πως) καὶ δάκνοντι.* Et Diogenis quidem joca, quorum partim a pueris decantantur, omitto. Tum ingeniosus homo et jocorum plenus, Bion Borysthenites aliquamdiu fuerat cynicus auctore Laertio Diogene IV, 7, § 51 sq. Inprimis autem in hunc censum veniunt et Cratetis Thebani Παιγνία, quae a Bergkio nostro (in Poetis Lyricis Gr. p. 523 sqq. ed. sec.) conlecta sunt, et quae hodie amissa sunt, Monimi Syracusani Παιγνία, de quibus haec habet Diogenes Laert. VI, 3 § 83: *γέγραφε δὲ παιγνία σπουδῆ ἡλεθρυνία μεμιγμένα* — Sed Menippus quonam modo τὸν Κυνικὸν τρόπον expresserit, e Luciano, Varrone et Seneca concludi potest. Nam ut ipse quoque aliis castigandis seriam rem esse verum jocos ostendit, ita idem rustice et partim obscene dicta cynicorum adspersus est. Quod autem de M. Terentio Varrone, qui Cicerone teste (in Academ. Post. I, 2, 7) Academiam veterem probabat, ita scripsit Terullianus Apolog. c. 14: ‚Romanus cynicus Varro‘, hoc quidem non ad alios cynicos sed ad solum pertinet Menippum. Illud magis ambigue dictum est, quod nos A. Gellius docet et II, 18 (sive Macrobius Sat. I, 11): ‚Menippus — cujus libros M. Varro in saturis aemulatus est, quas alii cynicas, ipse adpellat Menippeas‘, et iterum XIII, 31 init: ‚saturarum M. Varronis — quas partim cynicas, alii Menippeas adpellant‘. At ne hic quidem ὁ Κυνικός τρόπος in universon sed Menippus cynicus isque unus spectari videtur. Certe alii Varronem secuti ita loquebantur ut est apud Athenaeum IV p. 160, c Οὐάρον

ὁ *Μενίππειος ἐπικαλούμενος*. Alii autem quo magis de Menippeis Varronis saturis detraherent, ignominiae causa ‚cynicas‘ nominasse videntur. Constat enim, quantopere Romani Lucilium poetam admirari consueverint, et quam cupide saturam Graecis ereptam sibimet solis vindicare ausi sint. Hinc de cynica satura tum Menippi ipsius tum M. Terenti Varronis et Horatius et Persius et Iuvenalis eadem constantia tacuerunt, quae horum satiricorum nullus tacuit de Lucilio. Verum ex omni Cynicorum caterva duo tantum saturas composuerant, Menippus et post eum Meleager, ambo Gadareni. De hoc Meleagro post diligentem Fr. Jacobsi operam paucis licet defungi. Nam Athenaeus et XI p. 502, c e Meleagri cynici *Συμποσίω* pauca quaedam verba adfert sermone scripta pedestri, et idem IV p. 157, b auctor est Meleagram cynicum Gadarenum in suis ‚*Χάρισιν*‘ Homero inlusisse quasi Syro scilicet et alium praeterea libellum ‚*Λεκίδου καὶ φανῆς σύγκρισιν*‘ confecisse. Hi saturarum, quas Meleager fortasse plures composuerat, tituli tres soli aetatem tulerunt. Sed quum diu nemo dubitasset, quin Meleager saturarum scriptor idem primus ille Anthologiae graecae conditor fuisse existimandus sit: postea cum Harlesio G. Bernhardius (*Grundr. der Gr. Lit.* I p. 642) duo Meleagros Gadarenum utrumque sed alterum Cynicum Menippo aequalem, alterum Anthologiae scriptorem inter se distingui voluit. \*) At ne dicam in epigrammatis (*Anthol. Pal.* VII, 417 sqq.) de uno ubique Meleagro Gadareno non de duobus sermonem esse: saturarum scriptor non Menippo tempore sed postea se vixisse et ducis sui vestigia legisse in illis ipsis epigrammatis profitetur n. 417 (sive Epigr. Meleagri CXXVII): *Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος | πρῶτα Μενιπείαις συντροχάσας Χάρισιν*, fortassis etiam n. 418 (sive Epigr. ἀδεσπ. DLXXII): *Μούσαι δ' εἰν ὀλίγοις με, τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον | παῖδα, Μελητείοις ἠγλάισαν Χάρισιν*, ubi quanquam *Μελητείοις* (i. e. Homericis) ad Homeri parodias quibus in satura Meleager more communi usus sit, commode referri potest: tamen ob locum priorem omnino cum L. Holstenio *Μενιπείαις* videtur corrigendum esse. Ceterum duo Meleagros facilius ferrem, si unicus testis prioris Meleagri ejusque Menippo aequalis esset incorruptus, Diogenes Laertius VI, 8, 99: *φέρει μὲν οὖν (ὁ Μένιππος) σπουδαῖον οὐδὲν τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καὶ τι ἴσον τοῖς Μελέαγρον τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου*. At quum pro istis *καὶ τι ἴσον* quae non habent unde pendeant *κατὰ τὸ ἴσον* rescribendum sit: sequitur proximorum loco *τοῦ κατ' αὐτόν*, quae ipsi historiae repugnant, aut *τοῦ ἀπ' αὐτοῦ* aut *τοῦ μετ' αὐτόν* corrigi debere: *κατὰ τὸ ἴσον τοῖς Μελέαγρον τοῦ ἀπ' αὐτοῦ γενομένου*. Nempe *Μελέαγρον τοῦ ἀπὸ Μενίππου* idem est quod *τοῦ Μενιπείου* licetque in Meleagram ea transferre, quae Probus in Vergil. *Ecl.* VI p. 14 de Varrone scripsit: (Meleager,) ‚qui est Menippeus non a magistro, cujus aetas longe praecesserat, nominatus sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine saturas suas expoliverat.‘ Sed de aetate hujus Meleagri quae dicenda erant, ea per Fr. Jacobsi (animadv. ad *Anthol. Gr. T.* I P. 1 p. XXXIX sqq.) solertiam jam indagata sunt. Etenim hic vir Meleagram Gadarenum anno circiter centesimo ante Christum natum floruisse et scholii Vaticani fide et aliis argumentis plane demonstravit. Hic igitur Meleager Gadarens in eo epigrammate, quod in *Anthol. Pal.* VII, 421 exstat, v. 9 hisce verbis: *ἀμφήκης ἔχεις γέρας ἔς τε γέλωτα | καὶ σπουδάν* aperte ut fuit ita dicitur *σπουδογέλοιος* et mox ibidem v. 13 sq. verbis: *Μούσαν Ἔρωτι | καὶ Χάριτας Σοφίαν εἰς μίαν ἠρμόσασο* poeta festivorum carminum itemque eroticorum et philosophus. Utrum autem sicuti Menippus et cum Varrone Lucianus etiam Meleager philosophos maxime an poetas an alios riserit, scire non licet: neque enim de argumentis ejus saturarum certi quidquam traditum est. Puto tamen Meleagri saturam poema pedestri sermone mixtum et uti de Varronis satura Tullius (in *Acad. Post.* I, 3, 9 scripsit) varium et elegans omni fere numero poema fuisse. Quin enim Meleager Gadarens, cujus epigrammata adhuc exstant, in poetarum numero habendus sit, dubitari non potest. Itaque C. F. Hermannus (*De satirae Rom. auctore* p. 44) Casaubono, qui Menippum Gadarenum in poetis numerari male vetuerat, civem Menippi et pedisequum Meleagram poetam jure

\*) Conjectura haec primum fuit doctorum quorundam virorum ap. Harlesium in *Fabr. Bibl. Gr.* IV p. 417 sq., cui conjecturae locum esse Jacobsius l. l. p. XXXVIII recte negavit.



opposit. Addere autem Hermannus cum Stobaeo Photium poterat, a quo in Biblioth. cod. 167 in philosophorum et nominatim cynicorum recensione p. 114 de Menippo plane tacetur, sed p. 115 inter poetas ab Joanne Stobensi excerptos etiam *Μένιππος* nominatim adfertur, id est haud dubie Menippus Gadarensis. Ex his rebus adparet et Menippum et Meleagrum cynicos Gadarensis non solum philosophos fuisse verum etiam poetas, ut alii bene multi et Graecorum et nonnulli etiam Romanorum philosophi eidem omnium consensione in poetarum numero ducendi sunt. Quod ad Menippum nostrum adinet, vitae memoriam exstare negat, libros autem viri ipsos adhuc superesse testatur Eunapius p. 4 ed. Boiss., sed idem p. 3 Menippum cynicum serio narrat Musonii et Demetrii temporibus vixisse, id est primo post Christum natum saeculo exeunte: quo in loco historicum diabolarem facile adgnoscas. Nec minus foede scholiasta Luciani ad Jcaromen. c. 1 (IV p. 196 ed. Jac.) erravit, ut qui Menippum Gadarenum cum Menippo Lycio confunderet Apollonii Tyanensis aequali, de quo Menippo Philostratus in Vit. Apollon. IV, 25 et saepius exposuit. Errori addidit errorem alius scholiasta Luciani ad Piscat. c. 26 (IV p. 97) his verbis: *ὁ Μένιππος οὗτος κυνικός ἦν φιλόσοφος κατὰ τὸν σεβαστὸν* —, quod scholium etiam in cod. Parisino Bachmanni (Anecd. II p. 333) exstat. Qui quod Menippum cynicum sub Augusto floruisse dixit, ne origo quidem tanti erroris facile inveniri poterit. Multo magis ignoscendum est Wytttenbachio ad Eunapium T. II p. 17 ed. Boiss. et F. Oehlero in Proleg. ad Varronis Saturas p. 44, qui mendacio ac potius mendo Diogenis VI, 99 *τοῦ κατ' αὐτόν* inducti Menippum nostrum aequalem esse voluerunt Meleagri Gadareni vel paullo superiorem et annis ante aeram nostram vixisse centum fere et quinquaginta. Paulo melius quum alii tum C. F. Hermannus (De sat. Rom. auct. p. 43) Menippum nostrum haud multo ante annum 200 ante Christum n. vixisse statuerunt, quum Hermippi Smyrnaei de Menippo testimonium ab Diogene L. VI, 99 adferri vidissent, quem Hermippum circa annum 200 ante Christum floruisse propemodum constat. Equidem G. Bernhardio (Grundriss d. gr. Litt. I p. 642) adsentior, quo iudice Menippi Gadareni aetas et flos ipse circiter in annum ante Christum n. 272 sive Ol. 127, 1 incidat. Et e Luciano quidem hoc unum sequitur, Menippum *παλαιὸν κύνα*, ut est in Bis Accus. c. 33 nec multo inferiorem Cratete fuisse et ipso Diogene. Sed Laertius Diogenes VI, 101 inter Menippi libros refert etiam *γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας* quae satura paullo post mortem Epicuri, qui a. 270 diem obiit, aperte scripta erat. Ac profecto cum aliis cynicis, qui circa idem tempus (a. 270) vixerunt, Menippus conjunctus est ab Diogene L. VI, 95, ubi etsi ita scriptum est: *ἐγένετο καὶ Μένιππος Σινωπεὺς ἐν αὐτοῖς ἐπιφανής*, noster tamen Menippus dicitur id est Gadarensis. Praeterea quum Menippus auctore Diogene VI, 99 Thebis vixerit, quae ab Cassandro a. 315 restitui coeptae sunt, post a. 315 Thebas Menippus venerit necesse est. Denique in illum ipsum annum 270 alia quoque aetatis Menippeae indicia bene conveniunt, neque ab eo ullum abhorret. In quo genere locus ipse qui Menippi vitae ab Diogene adsignatus est, magnam vim habere debet: nam Cratetis, Metroclis et Hipparchiae vitas vita sequitur Menippi, Menippum cynici vita Menedemi. Huc accedit, quod sub saevo tyranno, qualis postea Philippus V exstitit, tales scribi saturae omnino non potuerunt. Nunc mirum erit nemini et Menippum, cujus tempore Graecia Antigono Gonatae mitissimo regi et amantissimo literarum subjecta erat et multo post Marco Antonio imperante Lucianum dicacitatis suae aculeos impune tulisse. Postremo quae una res omnem hanc litem dirimit, Menippus noster aequalis fuit Arcesilao philosopho, quem vivum in satura cognomine insectatus est. Atqui de Arcesilai aetate, quam paullo post definiam, ne dubitare quidem ullo modo licet. Hunc igitur Menippum fuisse Gadarenum non solum e Stephano Byz. discimus p. 193 s. *Γάδαρα* — : *ἐντεῦθεν ἦν Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος* verum etiam ex ipso Stephani fonte Strabone XVI p. 759: *ἐντεῦθεν ἦν Ἀντίοχος ὁ φιλόσοφος, μικρὸν πρὸ ἡμῶν γεγονώς. ἐκ δὲ τῶν Γαδάρων Φιλόδημος τε ὁ Ἐπικούρειος γεγονώς (γεγονώς recte Coraes delevit) καὶ Μελέαγρος καὶ Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος καὶ Θεόδωρος ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ*, quo loco editores in his G. Kramerum fugit verissima emendatio Casauboni (De satyr. poes. p. 203), qui *οἱ σπουδογέλοιοι* numero multitudinis scribendum esse vidit: *καὶ Μελέαγρος καὶ Μένιππος οἱ σπουδογέλοιοι* —.

Servus autem Menippus noster natus erat, uti et ab A. Gellio N. A. II, 18 discimus et ab Diogene VI, 99: *Μένιππος — τὸ ἀνέκαθεν ἦν Φοῖνιξ, δούλος, ὡς φησὶν Ἀγαθὸς ἐν Ἡθικοῖς. Διοκλῆς δὲ καὶ τὸν δεσπότην αὐτοῦ Ποντικὸν εἶναι καὶ Βάτονα καλεῖσθαι.* Quodsi Menippus e Syria (Syri enim saepius Phoenicum nomine dicuntur) emtus Batoni ero de catasta in Pontum atque etiam Sinopen pervenerat: sequitur jure quodam nostrum Menippum ab eodem Diogene paullo ante VI, 95 fin. adpellatum esse, Sinopensem. Plurimi autem servi propter ipsum literarum studium manu missi sunt: sed Menippus avaritia factus est Thebanus, ut ait Diogenes L. VI, 99: *ἀτηρότερον δ' αἰτῶν ὑπὸ φιλαργυρίας ἰσχυσε Θεβαῖος γενέσθαι.* Certe et libertatem adeptus est et diu in Graecia Menippus cynicus vixit, quem Thebis mortuum esse Diogenes VI, 100 contendit, idemque antea modo Corinthi ad Craneum modo Athenis in Lyceo fuisse dicitur Luciano D. Mort. I, 1. In eodem dialogo c. 1 et c. 2 describit eum ut philosophorum derisorem, ipsumque fuisse dicit pauperem, calvum, senem pannis annisque obsitum et in Icaromen. c. 2 addit fuisse deformem. Quod ad mortis genus adinet, Diogenem quum aliunde tum e Luc. Vit. Auct. c. 10 constat cruditate mortuum esse. Sed Menippum eodem fere morbo mortuum esse solus hominum finxit schol. ad D. Mort. I, 1 (IV p. 65). Immo Menippus ut multi senes philosophi usus erat *ἐξαγωγῆ*, qua re in D. Mort. X, 11 fin. ipse gloriatur. Et cum Luciano consentiens Diogenes L. VI, 100 Menippum ait vitam laqueo finivisse. Jam ad Menippi mortem voluntariam ab Varrone etiam adlusum esse putant in satura, *Ταφή Μενίππου* ap. Nonium p. 333, 24. Cynici autem non minus quam Stoici hoc mortis genus defenderunt jam inde ab ipso Antisthene, quo refer Athenaeum IV p. 157 b, quem locum non recte accepit Schweighaeuser T. II p. 526. Hinc et Proteus cynicus Olympiae se combussit laudatus ideo ab Theagene cynico ap. Luc. De M. P. c. 4, et Metrocles cynicus ap. Diogenem VI, 95 semet ipse subfocavit. Verum de vita Menippi quum duo in primis scriptores fide digniores non nihil protulerint, fatendum est eos partium studio ita obcaecatos esse, ut neutri eorum tuto adcredere liceat. Nam Lucianus praeterquam quod eum semper mirifice laudavit ut in Piscatore et Bis Accusato quasi malorum hominum osorem: in multis Mortuorum Dialogis, in Necyomantia et Icaromenippo summi cujusdam viri ac paene herois partes Menippum suum peragere jussit. Contra quae Diogenes L. VI, 99 sqq. ex Achaici, Dioclis et Hermippi commentariis hausta de Menippi vita narravit, ea ab philosophorum quos Menippus riserat patronis adparet recentibus odiis composita esse. Qui ut nihil usquam mentiti sint, multas tamen res laude dignas male celasse atque id unum egisse dicendi sunt, ut Menippus homo fuisse videretur nequissimus. Principio nonnulli Menippum sibi alienum opus adrogasse voluerunt, ut ait Diogenes VI, 100: *ἐνιοὶ δὲ τὰ βιβλία αὐτοῦ οὐκ αὐτοῦ εἶναι ἀλλὰ Διονυσίου καὶ Ζωπύρου τῶν Κολοφωνίων, οἱ τοῦ παιζέειν ἐνεκα συγγράφοντες ἐδίδοσαν αὐτῷ ὡς εἰ δυναμένω διαθέσθαι* (i. e. ut homini ad bene recensendum, perpoliendum disponendumque idoneo). Qui tametsi doctrinae laudem virtutemque poeticam Menippo reliquerunt: tamen ut eidem primum satirici decus facetias eriperent, non ab ipso sed ab duumviris Colophonii sales ejus esse inventos jactarunt. Constat, quanta levitate alieni operis expilationem Graecis Graeculi exprobrare ausi sint: et ut quis scriptor maximam laudem meruisset, ita eum facillime hac infamia adspargere solebant. Sed ut hoc omittam, quem Lucianus parvo contentum et Diogenis cynici simillimum fuisse tradidit: eum isti ajunt foeneratorem tam avarum fuisse, ut velut justo cognomine *ἡμεροδανειστής* diceretur, denique nautico in primis foenore opes maximas coacervasse, quibus amissis eum prae maerore necem sibi conscivisse. Haec tamen omnia rebus quoque ipsis in medium adlatis ac pro certo traditis ea constantia adseverant, ut aliquid veri criminationi eorum inesse videatur. \*)

\*) Diogene L. teste VI, 99 de Menippo exposuerat Achaicus, *ἐν Ἡθικοῖς*. Mox ita Diogenes pergit: *ἀτηρότερον δ' αἰτῶν ὑπὸ φιλαργυρίας ἰσχυσε Θεβαῖος γενέσθαι.* Et paullo post haec tradit: *φησὶ δ' Ἐρμύππος ἡμεροδανειστὴν αὐτὸν γεγονέναι καὶ καλεῖσθαι· καὶ γὰρ ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεργιάζειν, ὥστε πᾶμπλειστα χρήματα ἀθροίζειν· τέλος δ' ἐπιβουλεθέντα πάντων στερηθῆναι καὶ ὑπ' ἀθηνίας βρόχῳ τὸν βίον μεταλλάξαι.* Jam quos versus Diogenes L. VI, 100 more suo in Menippum nostrum lusit, duo systemata paria esse primus Salmasius vidit, quorum veruum quinto nondum correctae est librorum scriptura: *καὶ πάντ' ἀπέβαλεν εἰ δ' ἐνόει φύσιν κνός.* Et Salmasi quidem conjectura: — οὐδ'

Nempe hoc homines maligni voluerunt, Menippum neque cynicum Diogene dignum fuisse et quod ad saturas adinet, in his quoque eum paupertate laudata aliter scripsisse aliter ipsum vixisse clamarent. Quod nisi Menippus justa philosophos objurgatione incessivisset, nunquam eum philosophorum defensores dignum statuissent, quocum non sine convicio ipsi contenderent. Sed quod ad saturas Menippi earumque argumenta pertinet, de quibus rebus e fragmentis prope nihil discere licet, ad meram res redit conjecturam. Suspicio autem Menippum cynicum alios philosophos ita adgressum esse, ut haec duo maxime cynicorum placita defenderet, alterum quod habet Diogenes VI, 103: ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, ἐμπερὼς Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἡθικῷ, alterum paullo post ibidem § 105: ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ λιτῶς βιοῦν, αὐτάρκεισι χρωμένοις σιτίοις καὶ τρίβωσι μόνοις, πλοῦτου καὶ δόξης καὶ εὐγενείας καταφρονοῦσιν. Certe Lucianus Menippi pedisequus omnibus saturis quas in suae aetatis philosophos scripsit, primum frugalitatem eximie commendat, deinde philosopho sicut honesta praecipiat honeste etiam vivendum ac solo virtutis studio ut verus habeatur philosophus elaborandum esse ostendit. Praeterea illud quoque Luciano placet dialecticam et physica tollenda esse, quod et ipsum in Menippi saturas cadit planissime. Nam quod in Varronis saturis Cicerone teste (Acad. Post. I, 2 § 8), multa admixta erant ex intima philosophia, multa dicta dialectice: minime nego Menippum dialecticum quoque fuisse et physicum (quas literas parum Lucianus callebat): hoc dico, illis armis quibus alios petere philosophos soleret, Menippum nisi ea ipse tractare didicisset, parum recte usurum fuisse. Quod autem Menippum dixi in physicis quoque impetum fecisse, non conjectura ductus sum sed illo apud Diogenem VI, 101 saturae Menippeae elogio: Ἠρόδς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς. Venio nunc ad Menippi fragmenta et saturarum titulos: de quibus haec habet Diogenes L. VI, 101: τὰ δ' οὖν τοῦ κυνικοῦ (sc. Μενίππου) βιβλία ἐστὶ δεκατρία, Νέκυια, Διαθήκαι, Ἐπιστολαὶ κεκομψευμένα ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου, πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας, καὶ ἄλλα.

At si quae βιβλία Diogenes adpellavit, saturae singulae fuerunt, ut saturae totidem quot βιβλία numeranda sint: haudquaquam credibile est, non tredecim amplius saturas Menippum edidisse, post quem et Varro et Lucianus longe plures numero saturas composuerunt. Itaque Diogenes Laertius non omnes quaecumque ab Menippo scriptae erant sed partim tantummodo harum saturarum videtur cognitae habuisse. Ut igitur ego quoque sicuti Diogenes ab ea satura cui nomen fuit (I), Νέκυια incipiam: frustra Hemsterhusius ad Luc. D. Mort. I, 1 Menippi Νέκυιαν coniecit Luciano Mortuorum Dialogos scribenti exemplo fuisse: in quorum nullo psychomantian invenias. Immo Menippi Necyian i. e. Homericæ Necyiae parodiam Lucianus in alio dialogo, cui nomen est Μένιπιος ἢ Νεκρομαντεία, uti jam Casaubonus (De Satyr. Poes. p. 206) perspexit, unice imitatus est. Nam et illic ab Luciano praeter alios philosophi quoque ridentur et ab Menippo philosophi potissimum rideri solebant. Atque de Luciani Necyomantia in singulari dissertatione Rostochii a. 1864 edita disputavi, ubi quae dixi, iis etiam Menippi Necyiae, quae tota deperit, aliquid lucis videtur adlatum esse.

Secundo loco ab Diogene ea Menippi satura reponitur, cui nomen fuerat (II) Διαθήκαι. Varro, qui omnino ut Cicero ait in saturis Menippum imitatus erat non interpretatus, hanc ipsam saturam Διαθήκαι haud dubie in ea satura imitatus erat, cui A. Gellio III, 16 teste inscriptum erat Testamentum, sed pleniorum titulum Nonius servavit: Testamentum περὶ διαθηκῶν. Quam imitationem post alios F. Oehler (Varron. Sat. p. 225) bene adgnovit. Et Varronianae quidem saturae fragmenta exstant quatuor, e quibus tria in ipsius testamentis versantur. Sic etiam Menippi Διαθήκαι, ut ipsum saturae nomen indicat, pertinebant ad testamenta. Ceterum philosophorum testamenta,

ἐνόει φ. κ. vel ob tempus Imperfectum reprobanda est. Ego ut secundi versus (cui quintus respondet) verba ultima sese habent, ita hic quoque conjicio: καὶ πάντ' ἀπέβαλεν (ὡδ' ἐνόει φύσιν κυνός) i. e. tam male cynici naturam capiebat. Ibidem G. Hermannus ut etiam anapaestum tolleret, parum feliciter scribebat: καὶ πάντ' ἀπέβαλεν (ἰδέ, νόει φύσιν κυνός).



quae Diogenes L. permulta adtulit et ab Menippo et vero etiam ab Varrone derisa fuisse F. Oehlero l. l. eo minus credo, quod Varro non interpret fuit Menippi. Ceterum Laonis comici fabulam cui nomen fuerat *Διαθήκαι* Stobaeus in Flor. CXXIII, 5 commemoravit.

Tum ab Diogene epistolae ex deorum persona scite compositae hisce verbis adferuntur (III) *Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου.* Et haec quidem satura non unam ob causam memorabilis est, primum eo quod in epistolae formam inclusa fuerat (nam caeterae Menippi quarum nomina exstant non epistolae fuisse videntur sed dialogi,) tum etiam ideo quod in hac satura non philosophorum placita sed ipsa ethnicorum numina traducta erant. Verum cum his Menippi epistolis non tam *Ἐπιστολαὶ Κρονικαί* Luciani, in quibus de uno Saturno sermo est, quam ejusdem *Θεῶν διάλογοι* videntur conferendi esse. Ita enim conjicio Lucianum non illum quidem in omnibus, attamen in compluribus *Deorum Dialogis* hanc Menippi saturam ita secutum esse, ut epistolam Menippi in dialogi formam converteret.

Quarto loco Diogenes hanc Menippi saturam adtulit (IV) *Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς.* Placuit cynicis, ut paullo ante docui, cum dialecticis etiam physicen tollendam esse, ad quam rem hic titulus spectat: *adversus physicos et mathematicos* —. Tum Sexti Empirici libros eodem modo inscriptos: *πρὸς φυσικοὺς, πρὸς γραμματικοὺς, πρὸς μαθηματικοὺς* cum hac Menippi satura jam supra comparavi. Nam ab grammaticis quoque Menippus alienior fuit, ut cynici plerique (ap. Diogenem L. VI, 103: *γράμματα γοῦν μὴ μανθάνειν ἔφασκεν ὁ Ἀντισθένης κ. τ. ἐ.*), quod se per literas a virtutis via abduci dicerent, non quod ut Pyrrhonei mente quiddam comprehendendi posse negarent. Sed in eo de quo jam diu dispuo Diogenis loco VI, 101 editores haec verba: *Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ἐπ' αὐτῶν εἰκάδας,* haec igitur omnia viri docti pro unica titulo saturae habuerunt, quum non unam hanc saturam sed duas fuisse in oculos incurrat. Corrige: *πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ [πρὸς] γονὰς Ἐπικούρου* —. Nunc demum adparet quinto loco ab Diogene hanc Menippi saturam prolata esse (V) *Πρὸς γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ἐπ' αὐτῶν εἰκάδας.* Quum *γονή* eandem quam vox *θρέμμα* ambiguitatem habeat, Menippus non *πρὸς Ἐπικουρείους* sed *πρὸς γονὰς Ἐπικούρου* inscripsit, quod tam vertere liceret: *in subolem Epicuri* (isti enim Epicurum *patrem* dicebant, veluti Lucretius De R. N. III, 9), quam *in Epicuri porcos*, ut loquitur Horatius Epist. I, 4, 16, ludens ille ut opinor in graeco *νίον* et *ἔν*, quo pacto aperte lusit ante Augustum ap. Macrobius Sat. II, 4 ipse Aristophanes et in Nub. v. 1001 et in Vesp. v. 1356. At hodie sic potius interpreto: *in natales Epicuri* — inprimis ob verbum sacrum *θρησκευομένας*. Videtur enim adlusum esse ad elogia *Διὸς γοναί* vel *Ἀθηνᾶς γοναί*, de quibus optime Meinekius in Hist. Com. p. 279 et id actum esse ut Epicurus rideretur quasi aliquis deus scilicet. Serio Epicurum suum tanquam deum idem Lucretius veneratur De R. N. V, 1 — 54, ubi (ad v. 8) vide Wakefieldum. Certe Menippus, qui ipse ut cynicus parabili victu uti solet, hac satura Epicureorum luxuriam risit et eicadistarum convivia, in quibus quam opipare epulati sint quum aliunde patet tum e Plutarcho Non Posse S. V. S. Epic. c. 4: *ποιᾶς εἰκάδας ἐδείπνησαν πολυτελέστατα*. Ceterum a. 270 et Epicurus diem obiit et tum haec convivia primum instituta sunt: quae quum Menippus ut consentaneum est recens nata et sibilis excepta, non inveterata neque obsoleta riserit: hanc saturam paullo post a. 270 scriptam fuisse colligitur.



# INDEX LECTIONUM.

## In ordine theologico.

- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatim ternis diebus, Lunae, Martis et Mercurii, h. IX recentiorem philosophiae christianae inde a Cartesio ad nostra usque tempora historiam enarrabit; 2) privatim quinis diebus h. X et binis diebus, Jovis et Veneris, h. IX theologiam dogmaticam tradet; 3) publice in Seminarii sodalitis homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III Epistolas Catholicas interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV Isagogen in Novum Testamentum docebit; 3) publice conversatorium theologicum moderabitur binis horis definiendis.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim Grammaticam linguae hebraicae docebit, quaternis p. h. scholis hora XII; 2) privatim Psalmos interpretabitur, quinque p. h. hora XI; 3) privatissime sed gratis S. Ephraemi Syri selectos hymnos explicandos proponet, bis p. h. horis definiendis.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinque h. VIII; 2) privatim historiam dogmatum quinque h. XII enarrabit; 3) publice exercitationes theologico-historicas binis p. h. horis definiendis, necnon 4) publice in Seminario catecheticas exercitationes die Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

## In ordine juridico.

- D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus publicum Germanicum docebit h. XI quinque p. h. scholis; 2) encyclopaediam et methodologiam juris item quinque p. h. scholis, hh. cc.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) institutiones juris Romani tradet quinque p. h. scholis h. XI; 2) jus hereditarium docebit quinque scholis h. XII; 3) collegium, quod vocant practicum civile instituet die Saturni hh. III — V.
- D. Victor de Meibom, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum quinque p. h. scholis h. X profitebitur; 2) jus feudale ter p. hebdomadae h. IV et 3) introductionem in jus privatum Mecklenburgicum trinis scholis h. IV tradet.
- D. Hugo Boehlau, P. P. O., h. t. Decanus, privatim: 1) historiam juris Germanici tradet quinque p. h. scholis h. XII; 2) juris Mecklenburgici de processu civili ordinario exponet praecepta quinque p. h. scholis h. V; relatorium instituet die Saturni hh. XI et XII.
- D. Theodorus Muther, P. P. O., 1) pandectas juris Romani docebit quotidie hh. IX — XI; 2) exercitationes exegeticas moderabitur hh. cc.

### In ordine medico.

- D. Carolus Stempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O., valetudine impeditus lectiones non habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) encyclopaediam et methodologiam medicinae binis p. h. horis; 2) anatomen pathologicam binis p. h. horis; 3) pathologiam et therapiam specialem quinque diebus h. IX docebit; 4) exercitationes practicas in clinico et policlinico medico senis diebus h. X moderabitur.
- D. Gustavus Simon, P. P. O., 1) chirurgiam specialem quaternis p. h. horis; 2) ophthalmologiae partem binis horis docebit; 3) exercitationes practicas in clinico chirurgico et ophthalmiatrico senis diebus moderabitur.
- D. Franciscus Winckel, P. P. O., 1) gynaecologiae partem alteram, mulierum morbos complectentem privatim ternis horis p. h.; 2) morbos puerperarum publice binis horis; 3) medicinam forensis privatim binis horis p. h. docebit; 4) exercitationes practicas in clinico obstetricio quinque diebus moderabitur.
- D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O. des., 1) privatim physiologiam generalem et physiologiae specialis partem priorem senis diebus h. XII; 2) publice historiam generationis et evolutionis diebus Martis et Veneris h. III docebit; 3) privatissime exercitationes physiologicas bis per hebdomadem per horas ternas moderabitur.
- D. Guilielmus Henke, P. P. O. des., 1) anatomes c. h. partem priorem, 2) anatomes topographicam tradet; 3) exercitationes anatomicas assistente Dr. Schulze dirigit; 4) artem res anatomicas delineandi privatissime sed gratis docebit.
- 
- D. Theodorus Ackermann, P. P. E., 1) publice aetiologiam generalem binis p. h. horis; 2) materiam medicam quaternis p. h. horis privatim docebit; 3) pathologiae et diagnostices selecta capita, experimentis et disquisitionibus practicis illustranda, in instituto pathologico privatim exponere perget senis p. h. horis.
- 
- D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensis; 3) pathologiam et therapiam morborum psychi-  
corum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.
- D. Franciscus Eilhardus Schulze, Theatri anatom. Prosector, docebit: 1) aesthesiologiam semel per hebdomadam; 2) osteologiam comparatam, bis p. h.; 3) exercitationes anatomicas una cum Prof. Henke moderabitur.
-

## In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., privatim: 1) binis diebus h. VIII (vel XI) syntaxin linguae latinae tradet; 2) binis diebus hora eadem Ciceronis sive orationes pro Archia et pro P. Sextio sive libros de Divinatione explicabit; 3) binis diebus hora eadem Aristophanis Vespas interpretabitur. Horis consuetis Seminarii philologici exercitationes regere perget, in quo Lysiae orationes selectae atque Q. Horatii Flacci Sermonum liber I tractabuntur.
- D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit: 1) zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam senis diebus h. XI; 2) plantas cryptogamicas explicabit, diebus Martis et Veneris h. X; publice 3) familias quasdam regni vegetabilis paulo accuratius tractabit, die Lunae h. X.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim: 1) quinque p. h. culturam silvarum docebit, h. IX; 2) de praedio rite administrando exponet, quin diebus h. III.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim: 1) ter per hebdom. Callimachi hymnos et epigrammata interpretabitur; 2) ter per hebdom. Plinii epistolas et panegyricum explicabit; 3) privatissime quaternis diebus Antiquitates graecas tractabit.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O., 1) publice astronomiam popularem bis per hebdom.; 2) privatim calculum integralem, quater per hebdom.; 3) mineralogiam, quater per hebdom., docebit; 4) privatissima offert collegia de qualibet matheseos vel physices parte.
- D. Franciscus Ferdinandus Schulze, P. P. O., h. t. Decanus, privatim: 1) chemiam organicam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IV—VI; 2) physices partem alteram, de calore, electricitate et magnetismo, docebit et experimentis illustrabit; 3) exercitationes chemicas moderabitur, die Saturni hora VIII — XII et h. II — VI, nec non quotidie horis commodis.
- D. Carolus Bartsch, P. P. O., 1) publice de Dantii vita et scriptis bis per hebdom. disseret; 2) privatim historiam literarum germanicarum usque ad annum MD quaternis per hebdom. scholis enarrabit; 3) in Seminario philologico teutonico Wolframi Eschenbacensis Parcivalem interpretabitur.
- D. Georgius Voigt, P. P. O., privatim: 1) historiam Graecorum usque ad Alexandri Magni tempora deducet, senis per hebdom. horis; 2) Seminarii historici exercitationes moderabitur, in quo Lamberti Hersfeldensis Annales, tum capita selecta Diplomatarii Mecklenburgici tractabuntur.
- D. Hermannus Roesler, P. P. O., quaternis horis: 1) de rebus publicis disseret; 2) politicam oeconomicam et 3) disciplinam publicam (Polizei- Wissenschaft) docebit.



- D. Fridericus Francke, P. P. E., publice; 1) anthropologiam psychicam s. psychologiam praecipiet, quinque per hebdom. diebus; 2) philosophiam historiae generis humani designabit, ternis diebus; privatim: 3) historiam philosophiae enarrabit, senis per hebdom. diebus; 4) metaphysicam docebit, senis diebus.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., privatim: 1) quaternis diebus h. III — IV Euripidis Phoenissas interpretabitur; 2) quaternis diebus h. IV — V Taciti historiarum libros explicabit; 3) exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Carolus Weinholtz privatim: 1) Organoidealismi elementa ex systemate suo (Lipsiae 1856) docebit; 2) de psychologiae, quae vulgo dicitur, et anthropologiae organico-psychicae discrimine, nec non de psychologiae illius infirmitate disseret.
- D. Julius Robert 1) privatim habebit cursum practicum linguae franco-gallicae, quater per hebdom.; 2) privatim de historia literarum franco-gallicarum saeculi undevigesimi disseret, ter per hebdom.; 3) gratis virorum literatorum, qui nunc florent, imagines depinget, bis per hebdom.
- D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitate cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater per hebdom.
- D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen 1) scholas practicas veterinarias habebit in eorum usum, qui agriculturae student; 2) de solea equorum ferrea additis demonstrationibus practicis exponet; 3) de equi specie externa, aetatis notis, cibo et curatione additis demonstrationibus practicis disseret.
- D. Emilius John agronomiam docebit, horis definiendis.

**Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis patebit, Museum autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales publice profiteantur.**

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

**O. C. Krabbe, Th. D.**

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann, Th. D.**

Juriconsultorum **Hugo Boehlau, J. U. D.**

Medicorum **Th. Thierfelder, M. D.**

Philosophorum **Franciscus Schulze, Ph. D.**